



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Extrema Unctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

224. **Q**Uæritur . An forma consecrationis Calicis consistat in illis foliis verbis: *Hic est Calix Sanguinis mei?* an etiam sint essentialia reliqua omnia?

Resp. Sapientissimi DD. censent, in foliis prioribus verbis formam consistere; sed S. Thomas, & plures alii censent, reliqua omnia verba esse essentialia, sine quibus non erit valida consecratio Calicis, idcirco quia hæc secunda opinio est tutior, peccabit lechaliter Sacerdos, qui sine reliquis omnibus verbis consecrabit.

225. Quæritur. An blatha, avena, amydom, & vinum congelatum sint materia sufficiens ad Eucharistiam?

Resp. Negativè, & deducere in praxim opiniones affirmativas, est grave peccatum, quia minus tutæ sunt, & exponunt frustrationi Sacramentum.

226. Quæritur. An opiniones, quæ excludunt a materia, & forma consecrationis quod aliæ opiniones admittunt tanquam necessarium ad valorem Sacramenti sint damnatæ?

Resp. Esse damnatas ab Innoc. XI. cum prop. 1. ratio est, quia constat ex eadem damnatione, in praxi sequendam esse opinionem, quæ circa valorem Sacramenti tutior est, & reverà tutius est omne id adhibere, quod aliqui admittunt tanquam necessarium ad valorem Sacramenti, licet ab aliis ut non necessarium excludatur.

E X T R E M A U N C T I O .

227. **Q**Uæritur. An, & quomodo oleo benedicto pro extrema unctione

pos-

possit admisceri oleum non benedictum, ita ut certus maneat valor Sacramenti?

Resp. Certum est, quoad praxim, Sacramentum extremæ unctionis licitè, & validè conferri, etiam si oleum non benedictum supperadatur sæpius, dummodo singulis vicibus fiat admixtio in minori quantitate non benedicti, qua in re videtur facere certitudinem praxis antiqua Ecclesiarum, & declaratio *Sacr. Congreg.* sub die 23. Septemb. 1682.

228. Quæritur. An chrisma sit materia hujus Sacramenti tuta in praxi?

Resp. Materiam remotam Sacramenti Extremæ Unctionis esse oleum ab Episcopo benedictum, ut constat ex Tridentino; tamen opinio, aliquorum, etiam Chrisma, quod ex oleo, & balsamo conficitur, esse posse materiam hujus Sacramenti; sed opposita opinio affirmat futurum esse invalidum id Sacramentum, si assumatur Chrisma pro materia ejus; dicendum ergo est, primam opinionem esse speculative probabilem, in praxi verò damnationi subjectam, quia sequitur sententiam minus tutam circa valorem Sacramenti; cum hoc tamen stat, quod deficiente oleo infirmorum debeat substitui Chrisma, nam in casu necessitatis, quando non datur medium certum, assumendum est medium probabile.

229. Quæritur. An sit damnata opinio asserens, non requiri unctionem quinque sensuum; atque adeo posse fieri in unico, & in qualibet parte corporis?

Resp. Affirmativam sententiam docent plures, & graves DD. sed quia opposita opinio docet, non esse validum Sacramen-

mentum, aut saltē esse dubium valorem ejus, nisi ungantur omnia organa quinque sensuum, idē dicendum, primam opinionem, quamvis speculativē probabilem, in praxi tamen esse damnationi subjctam, ut minus tutam.

F A M U L U S.

230. **Q**uæritur. An famuli, & famulæ domesticæ possint occultē heris suis surripere ad compensandam operam suam quam majorem judicant salario, quod recipiunt?

Resp. Nisi debitum sit certum, non licet facere compensationem, neque spoliare eum, qui possidet, quando enim famulus ex rationibus probabilibus contendit, herum debere majus pretium famulatus, tale debitum non est certum, & evidens, idcirco non licet famulo facere eam compensationem, herum possidentem spoliando; ita declaravit *Innoc. XI. damnans prop. 37.*

231. Quæritur. An in evidenti injustitia dominorum liceat famulis, vel in judicio, vel extra illud compensare sibi mercedem debitam?

Resp. Affirmativē, nam in evidenti injustitia licet famulis petere in judicio æqualitatem mercedis sibi debitæ, aut si ex aliqua causa non possint in judicio sui juris æqualitatem consequi, poterunt extrajudicialiter sibi occultē compensare.

232. Quæritur. An ad eam compensationem sufficiat, quod famulus censeat, irrogari sibi evidenter injustitiam?

Resp. Non sufficere, immo neque fidentum esse judicio Confessarii mediocriter docti,